

Alte Drucke

**Passio Domi||NI NOSTRI IESV CRI-||sti secundum
Mattæum in de-||cem Homilias diuisa, per D. Ioannem
Chrysostomu[m]. || ... ||**

Johannes <Chrysostomus>

Parisiis, 1547

HOMILIA LXXXV EX CAP. XXVI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150600

tate habitantium cernitur. Quod inde Christus ostendit; quia virtute habitantis vel vilissimas petere casas non dedignatur. Ad improborum autem ædes etiam si aureis contegantur laquearibus, nūquam tamē ingreditur. Illa igitur regia rutilantissima est, in qua dñs omnium habitat. Hæc vero quāuis aureis tectis, ingentibusq; columnis constet, clacis tamen, & omni sorditie confluentibus riuus similis est, cum diaboli vasa in ea contineantur. Hæc mihi non de diuitibus his, qui vt importet, impendunt: sed de rapacibus, & auaris dicta sunt, hic nullum studiū nulla cura de rebus necessariis est, sed omnis opera pro ventre, ac turpitudine consumitur, ibi ad rectē philosophādum omnia impenduntur. Quapropter nusquam videmus Christum in splendidas ædes diuertisse, sed regiis omisissis, & molles indutis purpuras posthabitis, publicanorum casas & piscatorum eligebat. Quare tu etiam cū ipsum in domum tuam vocare volueris eleemosyna, orationib⁹, supplicationibus, vigiliis ipsam diligenter ornato. Hæc Christi regis ornāmēta sunt, illa vero māmōnæ, qui hostis Christi atque inimicus est: quas ob res nemo vilitate domus erubescat, si his ornamentis decorantis eam decorat, nemo magnificentiā ædium sublimis incedat. imò verò magis erubescat, & altis omnino contemptis palatiis, humiles eligat casas, vt ī hac vita Christum suscipiat, & in futura æternis ædibus perfruatur, gratiā & misericordiā Domini nostri Iesu Christi, Amen.

HOMILIA LXXXV EXCAP. XXVI.

ET ecce vnus eorum qui cum Christo erant, extendens manum suam, euaginavit gladium, & cum percussisset seruum pōtificis amputauit auriculam eius dextram. Tunc dicit ei Iesus, Conuertere gladium in locum suum: Oēs enim qui acceperint gladiū, gladio peribūt, &c. Quis nā est iste qui auriculā serui amputauit? Petrū certē fuisse Ioānes testatur, cuius ardētissimo animo iure ista res attribuitur. Cēterū, illud querendū est, cuius rei gratia gladios ferebāt? Nō enim hinc solum, verumetiam inde liquido patet gladios eos habuisse, quia interrogati respōderunt, duos se gladios portare. Sed quā ob rem Christi istud permisit? Lucas sanē ait, quia dixit ad eos, Num quādo vos absque pera, calceamētisque misistis, re quapiam caruistis?

Ioh. 18.

Luc. 22.

IN CAP. MATTHAEI XXVI.

Cumque illi nulla respondissent: sed modo, intulit, qui habet sacculum, tollat & peram: & qui non habet, vendat vestimentum eius, & emat gladium: tunc illi dixerunt duos se gladios habere. Ad quod Christus satis esse respondit. Cur igitur hoc permittit? Vt facilius crederent, quia tradentur: propterea dixit eis, emite gladios, non ut percutiant animas, sed ut praedicationem hac re ante oculos poneret. Quare autem peram etiam addidit? Vt eos erudiret, studere ac vigilare multum, quoniam proprio usuri studio sint. Nam in principio quidem rudes ac teneros virtute sua fouebat, nunc autem quasi in nido pullos educens, suis etiam pennis uti hortatur. Deinde ne putent imbecillitate se omissos esse ac ad suam operam compulso, ad priorum memoriam reducit, dicens: Num quando misi vos sine sacculo, re quapiam caruistis? ita utrinque ad agnoscendas res eius inducit, tum quia eos protexit, tum quia lenis ac paulisper ad operam suam eos remisit. Sed unde nam ibi gladij sunt inuenti? A cena & mensa tunc iam exiuerunt, ubi propter agnum gladios esse oportuit: illi vero quoniam audissent venturos aduersus eum aliquos esse, quasi magistrum defensorum secum gladios acceperunt. Quae res discipulorum animus solummodo erat, Propterea Petrus qui gladio usus, cominatione & quidem vehementi reprehenditur. Vltus enim seruum magno ardore animi est, quod non ad sui, sed ad magistri fecit defensionem: Christus vero nullum detrimentum fieri permittit: cõfestim enim illum curauit, & hac magnitudine miraculi & lenitatem, & potentiam suam ostendit. Tu verò discipuli quoque & amorem pium, & humilitatem confidera: alterum enim ex diligendi seruire, alterum ex obedientia fecerat. Nam cum audisset, Mitte gladium in vaginam: quod antea nunquam fecit, statim obtemperauit. Alius autem Euangelista dicit, interrogasse discipulos si gladio percutiendum erat, & Christum non solum prohibuisse, verum etiam percussum sanasse. Sed petrum acriter, & quidem minando increpat, ut eum & ceteros simul ab huiusmodi defensione deterreat. Omnes enim qui gladium acceperint, gladio morientur & adiecit: An putas, quoniam non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum? Sed ut impleantur scripturae. His rationibus feruentes animos eorum restinxit, maximè cum ostendat iam ita praedictum

Luc. 22

dictum esse à scripturis. Vnde superius quoque orabat, vt cum audirent voluntatem hanc esse Dei, mitiori animo ferrent. Ita duobus consolatus eos est: eorum qui sunt insidiati supplicio. *Omnes enim qui acceperint gladium* (inquit) *gladio morientur.* & quia sponte sua hæc sufferat. Possum enim auxilium, ait à patre habere si volo. Cur autem non dixit, an putatis, quia non possum omnes hos perdere? Quia nondum decentem, atque constātem de ipso fidem habent, credibilius illis hoc erat præsertim cum pauloante dixerit: Tristis est anima mea vsque ad mortem: & pater, transeat à me calix iste. Et ad hæc sudor quidem, & labor animi apparuit, & ab angelo confirmatus fuit. Quoniam igitur multa humanitati cōuenientia fecerat, si se illos perdere posse dixisset, non fuisset verisimile. Ideo an putatis inquit, non posse me impetrare à patre meo? & idipsum humiliter proferit, dicens: Et exhibebit mihi duodecim legiones angelorum. Etenim si vnus angelus centum octuagintāque armatorum hominum milia interfecit, quid facerent duodecim legiones angelorum? Ita ad imbecillitatem, atque timorem eorū qui metu iam semimortui erāt, orationem accommodauit, & autoritate scripturarum munivit. *Quomodo igitur implebuntur scripturæ?* Sic eos ab omni defensione deterret. Nam si scripturis quoque ita videtur, quid vos repugnatis? Et hoc quidem ad discipulos: ad illos autem ait, *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me: quotidie in templo sedebam docens & non tenuistis me.* Recense quot modis eos exsusciret. Supinos eos proiecit, aurem seruo restituit, interitum eis cōminatus est, vt gladio morientur qui gladium accipiunt, quod futurum præsentī miraculo confirmauit. Sic vndique & à præsentibus & à futuris potentiam suam ostendit, vt nulla vi derētus esse videatur, & ideo subiecit: Quotidie vobiscum eram & sedebam docens, & non tenuistis me. Hinc ostendit permissiōe sua id voluisse miraculis autē prætermisissis, de doctrina mētīonem facit ne iactare se videretur: docentē me nō tenuistis, inquit, silentem aggressi estis: in templo erā, & nemo manum in me iniecit, modo nocte cōcubia cum gladiis & fustibus irruistis: quid opus aduersus me his armis fuit? His omnibus manifestū facit, quia nisi vltro seipsum tradidisset, nihil etiā tunc ipsi potuissent. Si enim inter eos erat, & capere volentes nūquam

4. Re. 19.

IN CAP. MATTHAEI. XXVI.

potuerunt, neque tunc quidem voluit ambigere, id quoque soluit, dicens: *Hoc factum est, vt scriptura impleatur.* Vides quomodo semper etiam in ipsa proditiōis hora ad emendationē eorum omnia faciebat, sanādo, prādicādo, terrēdo (gladio enim peribūt) sponte se ad passionem venire ostendendo? Quotidie nanque vobiscū erā docens, & non tenuistis me, cōcordē se patri significādo, vt prophetarū scripturā adimplēatur. Cur autē in templo ipsum non tenuerunt? Nō fuissent aui propter turbas. Quam ob rem etiā exiuit à loco & opportunitate tēporis illis potestātē cōcedens, & excusationem eorum vndique succidēs. Nā qui seipsum tradidit, vt scripturas impleat, quomodo aduersus deū patrem dicebat? *Tunc discipuli omnes dimisso ipso fugā ceperunt.* Quando vero hac ad turbā locutus est, tūc in pedes se omnes dedere, nullam iam videntes eius defensionē, qui vltro se traderet, ac diceret secundum scripturas ista fieri. Sed discipuli quidem fugiunt, illi vero Iesum ad Caiphā ducunt. *Petrus autem sequebatur, & introiuit videre finem.* Ingens huius discipuli ardor fuit, qui nec cæteris quidem fugiētibus territus est, sed secutus etiam introiuit. Nam & si Ioannes quoque id fecerat, sed tamen notus erat pōtifici. Cur autem ipsum eo duxerunt? Ibi omnes erant congregati, & omni concilio pōtificum res gerebatur. Idcirco ad eum omnes cōueniūt, qui illo anno summū pontificium obtinebat, vbi pernoctarunt vigilātes, adeo vt pascha ea nocte comedere neglexerint. Mane autem facto non intrarunt in pratoriū, vt Ioannes inquit, vt non contaminarentur, sed vt māduarent pascha. Vnde liquidō patet, cupiditate interficiēdi Christum prauaricatos fuisse, ac alia die pascha comedisse. Non enim Christus, sed illi audacissimi homines, & illi transgredientes legis prācepta, quoniam ita inflammati erāt, & sepe conati capere ipsum nihil facere potuerunt, ex insperato nati quod cupiebant, tempus paschæ transposuerunt, vt ardentis cæde animos eorum explerent: propterea congregantur omnes, & consilium iam pestilens erat. Et nonnulla more iudicis quærūt, vt habitum iudicij, atque figurā in infidiis ponerent. Non enim conueniebant testimonio: sed tumultus, atque turbationis omnia plena erāt, adeo vt aperte fictum pateret esse iudiciū. *Venerunt autem falsi testes dicētes, iste dixit: soluite templū hoc, Et in tribus diebus erigam ipsum.*

In

In tribus dixit certè diebus, sed non soluo: sed, soluite. Nec de illo templo, sed de corpore suo dicebat. Quid igitur pontifex fecit, vt ad respondendum compelleret, vnde capi ipsum arbitrabatur? Non audis (inquit) quid isti testantur aduersus te? Iesus autem quia nullum videbat excusationi locum, tacebat: figura enim ibi duntaxat iudicij erat, re autem ipsa latronum impetus: pontifex igitur perseuerabat dicens:

*Adiuro te per deum viuum, vt nobis dicas, si tu es Christus filius dei viui. Ipse vero respondit, Tu dixisti: veruntamen dico vobis, & amodo videbitis filium hominis sedentem à dexteris virtutis dei, & venientem in nubibus. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemaui. Quod ait, vt atrocius dictū Christi videretur, & atrocior accusatio fieret. Nam quoniam audientes perterriti fuerāt: sicut in Stephano postea fecerūt, aures obstruentes: simile quid à pontifice factū est. Sed quæ nam erat ipsa blasphemia? Nam cōgregatis ipsis alibi istud proposuit, Dixit dñs domino meo, sede à dextris meis: quod latius ab eo exponi audientes, nihil audere ausi, & tunc tacuerunt, & nihil postea ipsi contradixerunt. Quomodo igitur blasphemiam nunc istud appellabāt? Cuius etiam rei gratia Christus hoc eis respōsum dedit? Vt omnem eorū tolleretur excusationem. Idcirco ad extremam vsque diem aperte seipsum Christū esse dicebat, qui à dextris sedeat patris, quique rursus ad iudicandū orbem vēturus sit: quæ res magnā eius concordiam ad patrem significat. Vestimentis ergo conscissis, cæteros interrogat dicens: Quid vobis videtur? Noluit à seipso sententiam proferre, sed quasi manifestissimo peccato, & blasphemia petēte ab illis eā elicere voluit. Nō enī ignorabat si res in cognitionē & examinationē veniret exquisita, ab omni eum crimine liberari, ac ideo apud seipsum condemnari stupebat, & auditores præoccupabat, dicens: Vos ipsi blasphemiam audistis. hæc dicit, vrgēs quasi atque impellens aduersus eum sententiam proferre. Quid igitur illi? *Reus est mortis.* Cōdemnatum enim iam à se ad Pilatū ducere volebant, vt facilius ipsum quoque ad cōdemnandum impellerent, cuius rei omnes conscij vna voce respōdent, reus est mortis: sic ipsi accusabant, ipsi disceptabant, ipsi sententiam ferebāt, omnium officia tunc ipsi occuparūt. Quomodo autem sabbata in mediū non proposuerunt? Quia sapius ora eorū frenauit, ex his quæ tunc facta fuerant cōdemnare*

21. 22. 23.

21. 22. 23.

21. 22. 23.

21. 22. 23.

21. 22. 23.

IN CAP. MATTHAEI XXVI.

ipsum cupiebat, & ad ea peruenit pōtīfex, vt omnibus scif-
fione vestis ad se attētius attractis, sentētia iam ab ipsis pro
lata tanquam condemnatum ad Pilatum ducāt: Ita callidē,
atque malitiosē cuncta gerebant: nihil certē tale apud Pila-
tum dicunt: sed quomodo? Nisi malefactor hic esset, nō vi-
que tibi tradidissimus eū: ita publicis criminibus interime-
re ipsum studebāt. Cur autem occultius non interfecerūt?
Malam de Christo existimationem suscitare volebāt. Quia
igitur multi audiuerunt eum, & admirabatur vehementer,
atque stupebāt tam de signis quā de doctrina: idcirco de-
derūt operam vt publicē necaretur. Christus verō nō pro-
hibuit, sed in veritatis affirmationem proteruitate illorum
usus est. Manifesta enim morte ipsius omnibus facta, con-
trarius est cōsecutus euentus quā illi optabāt. Illi enim ad
dedecus ipsius publicē eum necarūt, ipse autē summa hinc
gloria perfulsit. Et quēadmodū dicebāt: Occidam⁹ ipsum,
ne Romani veniant, & ciuitatē nobis atque gētem eripiat:
quo interfecto illud maximē passi: eodem nunc pacto pu-
blicē crucifixerunt, vt magna infamia notarēt: euenit autē
omnino cōtrarium. Potestātē autē habuisse illos per seipso
interficere, Pilatus declarauit dicens: Accipite eū vos, & se-
cundū legem vestrā iudicate ipsum. Voluerunt autē vt tan-
quam iniquus, tāquam tyrannus, tāquam factiosus turpissi-
ma videretur morte necatus. Qua de re latrones quoque si-
mul cum eo crucifixerunt, & ad Pilatum dicebāt: Non scri-
be regem hunc esse Iudæorū, sed quia dixit regē se esse: quē
omnia ita pro veritate faciūt, vt nec ymbrā quidem excusa-
tionis impudētissimi Iudæi habeant: imō custodia, & signa-
cula sepulture, magnū splendorem veritati addiderūt, idem
etiam cōuicia, & cōtumeliæ fecerunt. Huiusmodi certē res
falsitas est, vt his rationibus dissoluatur, quibus terēdit in-
sidias, quod illis accidisse videmus. Nam quū vicisse iam pu-
tarēt, tūc maximē ea re, qua putabāt vicisse, in summū de-
decus impulsū perierunt: quibus autem victus visus est, hinc
maximē refulsit, & mirabili est potius victoria. Nō quēra-
mus igitur vbique victoriā, nec semper superari vereamur.
Est enim quādoq; victoria detrimentū, offensio vero emo-
lumentū adducit. Etenim in ira qui valde cōtumeliatus aliū
est, sperasse videtur, quum reuera ipse maximē à turpi hac
perturbatione victus nō parū sibiipso nocuerit. Qui autem
magno

magno animo tulit iniuriam, hic profectò & quidem cum laude superauit. Ille nanque nec suam quidè ægritudinem cōpressit, hic etiam alienā extinxit: & ille suo morbo superatus est, hic etiam alienum curauit, nec solum ipse inflammatus nō est, verū etiam ingentē alterius flammā extinxit. Quod si apparentem hanc, & non victoriam consequi voluisset, & ipse victus iacuisset, & aduersarium magis incendisset, sic turpiter ac miserabiliter, quemadmodum mulierculæ ab ira exagitæ ambo iacent. Nunc verò & huius decoris expers est, qui philosophatur, & præclarū tam sibi quàm proximo die iracundiæ trophæū constituit. Non igitur vbique victoria quærenda est. Qui enim lædit, superare læsum videtur, sed perniciosa sibi victoria superat. Læsus autem si magno animo perfert iniuriā, quanquam victus videatur, coronam tamen splendidā adeptus est. Sæpenumero ergo vinci quàm vincere prestantius est, optimus profectò iste victoriæ modus est. Nam siue quis rapiat, siue percutiat, siue inuideat, qui suffert, & nō cominus aggreditur, ille pulcherrimus victor est. Cur rapinā & inuidiā dico, quū etiam qui ad martyriū traditur cæsus, laceratus, iugulatusq; hoc pacto denique superat: Et quidè in bellis ostensio prælij est, si miles occiderit. Hæc apud nos clarissima est victoria, nullibi certè malè agentes, & vbique mala sufferenter superamus: illa fulgentissima victoria est, qua inferentem patiēdo superasti. Cūque oppressam exteriori victoriæ naturam habeat, quod maximè virtutis argumētum est, à deo esse demonstratur. Sic scopuli fluctibus cæsi facile ipsos dissoluunt, sic sancti omnes præconio præclaro coronati, præclara trophæa statuerunt, hanc victoriam laboris expertem consecuti. Non enim luctari te, aut laborare oportet, deus eas tibi vires concessit, vt non consertione manuum, sed patientia vincas. Non ex eas igitur in præliū, & vicisti: nō collucteris, & coronatus es, multo tu præstātior & fortior aduersario es. Tu te ipsum dedecoras: noli committere, vt ille possit dicere, vix à te in prælio superatum fuisse: sed fac vt inexpugnabilem hanc virtutem admiretur, & stupeat, prædicetque abs te sine prælio victum fuisse. Sic beatus ille Ioseph, qui magno animo iniurias tulit, vbique & victor prædicatur. Nam & fratres, & Aegyptiam illam mulierē insidiates, æquo animo ferendo superauit. Noli mihi carceres, vbi

Gene. 37

IN CAP. MATTHAEI. XXVI.

Gene. 39

vinctus fuit, nec regiam vbi mulier illa versabatur domum obiectare: sed victum mihi atque victorem ostende, & qui in voluptate, qui in mœrore vivebat, patefacias. Illa nec iustum illum virum, nec cupiditatem propriam superavit: hic & mulierem repulit, & à difficillimo captus morbo nõ est. Et si vis, verba mulieris audiamus, & à superato penitus, atque prostrato animo proferri videas. Adduxit nobis huc, inquit, puerum Hebræum illudere nobis. Non ille o miserrima, atque iniquissima, sed diabolus tibi illusit, quia persuasit posse adamantium abs te animum infringi. Non adduxit tibi maritus Hebræum insidiantem puerum, sed callidissimus dæmon, qui in illicitam te impulit cupidinẽ. Quid autem Ioseph tacet omnino: & sic cõdemnatur, velut & Christus. Figura enim illa Christi fuerat. Sed erat ille, inquit, in vinculis, hæc in regia spaciabatur. Et quid est hoc? nõne illa splẽdida fuit, coronatus etiam hic, quum in carcere victus iacere videretur? Hæc autem omnino victo inferior, quam in regali thalamo versabatur, sed non hinc solùm, verum etiã ab exitu rerum victoriã aspicere solet. Quis enim quod voluit nactus est? ille victus professõ, non hæc regia mulier. Nam ille castimoniam studuit conseruare, hæc casũ illius animum corrumpere. Quis igitur voluntatẽ adimpleuit suam? Ille qui passus æquo animo iniuriam est, aut hæc quæ iniquissimẽ intulit? Ille proculdubio, ille igitur clarissima fuit potius victoriã quæ omnia non ignorantes, hanc victoriã quæ à patiẽtia originem trahit, totis viribus persequamur: illam diligentissimẽ fugiamus, quæ ab inferenda iniuria nascitur. Sic enim & præsentem vitam quietẽ atque tranquillẽ peragemus, & futuram consequemur, gratiã & misericordiã domini nostri Iesu Christi, Amen.

HOMILIA LXXXVI.

EX CAP. XXVI.

Vnc spuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt. Alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chrisste, quis est qui te percussit, &c. Quamobrem hæc faciebant cùm occisuri eum essent? Quid enim huiusmodi illusione opus erat? Crudeles eorũ mores in omnibus ostendunt, qui quasi venatores ferã inuenta, sic violentiã & furore ferebantur,

T